7

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MORBO COXARIO.

ROBERTO MARTIN DAVIS AUCTORE.

PRÆFANDA.

Morbus, de quo in animo est pauca disserere, inter sævissimos, quibus obnoxium est corpus humanum, jure est recensitus; et qui nimis frequenter ostendit medentes, ad ejus repugnandas incursiones, minime valere. Hæc tetra pestis in his terris sæpissime grassatur, et æquo fere pulsat pede, " Pauperum tabernas regumque turres;"

cujus descriptio fieri aliter non potest quam manca, propterea quod paucæ occasiones sese mihi obtulerunt hunc morbum cognoscendi, et nulla spe aliquid novi in lucem proferendi accensus, sed leges almæ hujus acadamiæ obtemperans, nunc profero meam sententiam de historia, et curatione hujus morbi quam brevissime potero. Symptomata propria peculiariaque hanc affectionem artis coxendicis manifeste ostendunt, quorum tamen plurima sunt præterita vel magnopere neglecta, et minus agitur de curatione hujus morbi nimis frequentis et optima remedia postulantis, quam de aliis momenti nullius et sese rarius offerentibus. Morbus ad hanc strumæ speciem pertinere videtur quæ articulis permagnis insidet; sed ejus tentatio multo magis insidiose evadit, hinc mora vel ambiguitas in ejus eventum futurum præsagiendo, semper medenti est, et tandem insanabili ulcere facto, lenta tabe ægrum consumit: Insidia ejus aggressus est

ubique animadvertenda in scriptis eorum, qui de hac re tractaverant, et id nunc usu compertum habemus morbum per varia stadia pro conjectura judiciique dissimilitudine multum spatii præbere. Hæc pauca præfatus; ad symptomata tractandum nunc in ordine progredior.

SYMPTOMATA.

Omnes mortales huic teterrimo malo obnoxii sunt; sed pueri ex cunabulis ad annos quindecem multo frequentius patiuntur; tametsi illi huic sunt dediti, nihilominus juvenum vel senum sic laborantium frequentia haud est aspernanda. Hicce morbus sensim et paulatim invadit, et prima symptomata

sic insidiose eveniunt ut vix diu percipienda: scilicet, languor et animi hebetudo, simul comitantibus artus dolore haud acuto, sensuque ponderis fatigationisque partis affectæ; quæ non animum alicujus ad se ipsa convertunt, præsertim si in pueris, quia iis valde usitata; indicia gradatim sese ostendunt, *viz.* imbecillitas nullius momenti, atque membri læsi claudicatio, hæc plane demonstrant hunc articulum cum aliqua affectione affici, et si medicus ad hæc non animum attenderit, vel si eadem spectaverit, ut non alicujus momenti et immerita juxta scientiam medicam tractari; unica spes quæ ægro fuit, ex ancipiti morbo ad sanitatem redigendi; nunc penitus deleta est. In primis stadiis, dolor in genu adoriens hunc morbum præcipue ostendit et qui ægrum in lecto acerrime aggreditur, ex somniis excitandoque, et cum gemitu plorabili afficiente. Notatum fuit observatoribus peritissimis dolorem non in regione morbi semper permanere sed per to-

tum membrum descendere, iter vasti externi musculi ad *genu* sequentem, et sæpe vestigia nervi sciatici usque ad talum. Aditus interdum genu affectionis aspectum gerit, et in hunc finem tractatur; tandem nullo vero affectu ibi loci deprehenso, vel nil molestiæ in flectendo vel in extendendo genu artum,—oportet curiosiùs perquirere, an articulus coxæ laboret necne; ut ejus motus ægro dolorem affert. Ex hoc errore multum injuriæ ægro orietur, non ex ullis applicationibus genu appositis, sed quod solum in hoc stadio, de eventu bene interpretari possumus, et nil dubito dummodo inveniremus hunc morbum in hoc stadio adorientem, quin quies et detractio sanguinis frequens ex parte quam proxime laboranti rem ad exitum faustum perducant, vel suppetias maximas aliis remediis ferant: Forsan attentio medentis artum coxæ inquirentis; situi mali ex dolore immoto post trochantorem majorem simul cum inguinis temeritate diligenter incumbat, ta-

men nimis fit, ut hæc et alia signa jam memorata, nullâ manifestâ laxatione, vel nullâ externâ mutatione coloris comitante, nihili æstimantur et ex lumbricis intestinorum vel exercitatione vehementiori, in pueris et si provectus ætate sit æger, ex podagra vel rheumatismo inepte oriri feruntur.

Indagemus deinceps ea symptomata, quæ hunc morbum designare ulteriùs spectant. In aperto est, magnitudinem membri, functionibus ejusdem morbo impeditis, fere diminui et musculos emacrescere, hoc simul cum claudicatione perspicue demonstrat omnia in eodem membro minus valere, et si hæc claudicatio non affectioni spinæ vel alicui recenti injuriæ imputari possit, oportebit artum coxæ in suspicionem ducere, præsertim cum dolor ejus, pressura præ acetabulo factâ, valde accrescit. Elongatio membri est symptoma quod hanc opinionem cum sua auctoritate confirmat et

hoc accurate videatur ex præceptis a Dom. Ford memoratis; ægro supinus jacente, utroque crure apte extenso, ut invicem comparetur; patella et condyli femoris membri læsi, infra eas integri partes satis evidenter apparebunt; vel major trochanter vel externus malleolus tibiæ consentaneis partibus membri integri conferantur, ægro dum erecto convexitas natis deficitur et macies glutæi maximi affecti lateris plane conspiciatur, etiamque notetur pondus corporis cum ambobus pedibus non pariter adjuvari, nam membrum affectum non potest sustinere pondus corporis ut decet, quia æger extrorsum e corpore genu flexo eminet; et tantum cum digitis pedis membri laborantis humum attingit. Hic situs corporis dolore magis vacat et omnis conatus ad membrum extendendum dolorem affert, postquam claudicatio aliquandiu manserit; multo celerius augetur et ægrotum impellit ut auxilium e manu peteret ad artum movendum,

hæc difficultas artum movendi matutino tempore patet, interdum nonnihil immunuitur usque ad vesperum, cum dolor et fatigatio ingravescunt, quando æger in lecto est, femur plerumque inclinatur, et omnis conatus ad hanc positionem mutandum cum maximo dolore comitatur, qui præsertim augetur ægro nitente ad membrum extendendum. Reverà dignum notatu est constitutionem per totum hujus stadii nil aut parvum detrimenti accipere, et nunc ad stadium secundum progredimur.

Elongatio membri non diu vexat, et ejusdem contractio sero vel citius locum occupat, hac sese monstrante, de suppuratione timendum est, ad ejus accessum omnia symptomata ingravescunt et hæc febre progrediuntur, quæ juxta inflammationis naturam in ægris cum discrimine comitatur. Si ab vi externa proveniret morbus; partes vicinæ tumidæ dolentesque evadunt et symptomata

synochæ instant, dolore remittente tumor in regione artus apparet et in suppurationem abiit, super vastum externum vel ad inguen interdumque in superiore coxendicis parte. Dummodo inflammatio sit chronica æger non multum excitationis ex dolore patitur proclivitate ad suppurationem sese ostendente. Nunc tumor et rubor circa clunem intenduntur; posteaque membrum contrahitur et omnia signa luxationis ossis femoris sursum et exterius perspicue apparent; in eodem tempore membri motus plurimum imminuitur et omnis conatus pedem humo applicandi, occasionem magno dolori et ægritudini præbet; tandem æger omnem potestatem membri amittit, et cogitur cum integro membro totum pondus suppeditare dum aliud nec diutius truncum sustinendo idoneum, dolens corpori appendix restat. Hæc prò longo vel brevi tempore manent, donec pus (abscessu prorumpente) commistis coagulis et natura sero lactis assimile effun-

ditur: quòd si apertura pus exire haud facile sinat, æger profecto fit obnoxius doloribus vehementissimis ex pure incluso, quod interdum cavum pelvis intrat aut in rectum, vesicam urinariam, vel vaginam effunditur et hoc dejectiones purulentæ satis manifeste testantur. Si non fuerit finis hujus morbi suppuratione nunc factâ; totum acetabuli cartilagines ligamentaque penitus delebuntur et morbo perstante, proximæ ossis innominati partes simul cum capite cerviceque ossis femoris cariei fuerint obnoxiæ. In hoc tempore pessima, quæ comitantur affectiones omnis magni articuli, plerumque occurrunt, nempe languor, cibi fastidium diarrhœa, febris hectica, nocturni sudores, e quibus tandum vita prorsus inops et miseranda cum optata morte commutatur. Etiamsi febris hectica in propriis partibus (ut vitalibus) suppurationem comitatur, tamen minis frequenter accidit eandem in pluribus inflammationibus articulorum majorum multo

ante puris formationem supervenire, eò fit ut in hoc stadio morbi, summa ope nitere-mur diminui vel sustollere omnia pessima quæ hoc fatale signum comitantur. Si hæc miserrima non apparuerint et vires ægri non minime resolvantur, forsan ille sed post-quam in cubile diu detentus, convalescat cum torta coxa, membroque confecto, quod aut nexum parum securum cum osse innomi-nato habet aut ope anchyloseos, acetabulo innititur. Ægri interdum ex stadio sup-purante convalescant, membro plus minusve contracto, fistulæ modo sanantur, modo per longum tempus pus ex his effluit donec pro-clivitas ad anchylosim apparet, qua postea sensim firmata, tandem membrum par evadit in corpus sustinendo, nunc æger quotidie con-valescens, demum ambulare incipit, et ejus robur quoque ab exercitatione levi augescit. Hic finis plerumque contingit junioribus et reditus ejusdem ex noxis levioribus admotis est metuendus, sed non fauste contingit pro-

vectioribus ætate, nam suppuratio iis plerumque occidit.

Suppuratio non semper ulcerationem nec elongationem femoris ideo consequantur, nam indies exempla multa obvenerunt et mihi fuerint occasiones in quibus ægri omnia stadia sine externa suppuratione passi sunt etiamque dignum est notatu, ut quædam exempla occurrunt, in quibus morbus per varia stadia processit cum nonnullis signorum graviorum, nempe, elongatione, contractioneque membri et suppuratione jam facta; sine ulla febre vel ullo malo symptomate; sed hæc sunt perrara. Si articulus ad anchylosim spectat omnis nisus cum membro affecto, in truncum sustinendo vel levis exercitatio, hac nondum perfecta, erit causa magni doloris atque irritationis articuli, aut forsan omnia symptomata, longe pejora deterentur: igitur ad articulum sanandum summa quies membri cum multis aliis rebus

est necessaria. Nunc memoravi, quantum scio, omnia signa quæ morbi stadia diversa notant.

DE CAUSIS HUNC MORBUM INDUCENTIBUS.

Variæ opiniones de causis semper existerunt, tamen ratio earum certe obscura adhuc incognita esse videatur. Alii ex scrophula ejus originem trahere arbitrantur, nam plerique omnes sic vexati aut parentibus strumosis nati fuerunt aut indicia strumosa plus minusve manifesta adsunt iis hoc morbo jam affectis, ideoque probabile est vitium hujus morbi semper vere strumosum posse haberi. Alteri ab impetu externe illato, aut ab frigore diu corpori applicato aut ab exhalatione terta terræ originem accepisse.

Dom. JOHANNES BELL scrophulam ejus principem causam minime dubio contendit, putatque conditionem hujus articuli imperfecte formatam, simul cum injuriis quibus periclitetur, dum pondus corporis semper sustinet, hoc malum in hac parte toties inferre.

Hicce morbus frequenter occurrit, cum causa nulla idonea potest reddi præter indolem corporis strumosam nunc excitatam; id, quod in nonnullis constitutionibus ex causis quam levissimis accidit.

DE PATHOLOGIA.

IN primis accessibus pathologia profecto deest, cujus rationem reddere, non difficile esse videtur, propterea quod nulla videndi

ejus perniciosas tentationes occasio medentibus est etiamque opis ex aliquo rarò petitur, antè malum in cursu ejus pernicioso multum processit; hinc quicquid de hoc stadio nos fimus certiores, fuit patefactum ex sectione eorum, qui ex aliquo morbo fuere mortui, dum sub eodem laborantes; sed cum morbus cursu regulari per varia stadia procedit et tandem in morte desinet; omnes partes articuli detegimus ruina implicari, magna parte Ilii, Ischii, et Pubis carie corrupta et partes vicinæ plerumque adeo mutantur ut scrutari eas impossibile fit.

Dom. Ford de hoc morbo agens hæcce verba habet. "The foregoing cases, duly "considered, suggest various reasonings, "and seem to warrant the following con-"clusion, namely, that a morbid state of "the cartilages and bones, which form the "hip joint, is the real origin and efficient "cause of the whole train of alarming

"symptoms which accompany this dis-
"ease, from its earliest appearance to its
"ultimate termination *."

Ex his patet cartilagines ossaque primo morbida fieri et non telam cellulosam artusque involucra ut De Haen aliorumque scripta sic nos illicerènt putare nam iis apparuit partes articulo adjacentes tantum in stadio provecto affici itaque in primo stadio morbus facile sanandus est. Nonnulli in animo conceperunt acorem synoviæ articulum in ruinam trahere itaque iis videtur instanter exitum dare, arte factâ in articulo apertura.

---

* *Vide* page 25.

PROGNOSIS.

Multum ambiguitatis quidem prognosim hujus vitii obscurat, certum est ut difficultas recentiora signa hujus morbi accurate distinguendi vetat, quo minus primo de eventu judicemus. In stadio hujus morbi primario, si inflammatio articuli aptis remediis sedanda sit, et si ab externa injuria veniat, finis erit faustus. Sed, si strumæ signa sese ostendunt, judicandum est de vi, quæ corpus infestat. Prognosis plerumque est mala, quum remedia quibus utimur, haud valeant solvere morbum incipientem; ætate præsertim provectioribus, hi enim præ aliis periclitantur et sæpius suppuratione facta opprimuntur, sed non tam infausta cum pueris, nam

vitium in iis medicinam magis frequenter admittit, de his vero inducant prognosticare indicia plus minusve sævientia, atque vis strumæ cum qua corpus infestatur. Pessimis signis aggredientibus, quæ evidenter denotant suppurationem non ita longe abesse, oportebit nos de eventu caute prædicere. Suppuratio in magna quantitate est ægro semper periculosa, si tamen quantitas puris non esset permagna et si pessima signa abscessu prorumpente mitescerent ex idonea curatione membro contracto et anchylose affecto æger convalescat; sed si graviora permaneant simul cum suppurationibus circa artum perpetuis morbum occisurum verisimile est. In exemplis mitissimis prognosis est semper dubia et incerta.

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM.

Dolor, sensus ponderis, et claudicatio membri, quæ in principio morbi percipiebantur; inflammationi, quæ semper articulum plus minusve afficit, tribuuntur. Interdum glandulæ inguinis turgent, fortasse ex consensu qui inter eas et partem inflammatam, est. Aditus doloris interdum genu affectionis aspectum gerit, ex nervo sciatico sedi morbi vicino reddi potest et dolorem plerumque vestigia hujus nervi tam in hoc morbo quam in nervosa sciatica mihi persequi videtur. De elongatione membri causa ejus inter auctores multum disputatur. Aliqui longitudinem membri ex ligamento rotundo relaxato aut acetabulo ab liquore effuso in

capsulam distenso reddendam posse putavere. Alteri ex capite femoris tumido simul cum densatione acetabuli. Secundum J[EM.] HUNTER et alios ortum habet ex situ pelvis obliquo; tubere seu parte inferiori ischii lateris affecti deorsum extendenti infra eandem sani partem lateris comperto. Dom. FALCONER hanc mutationem pelvis præcipue observavit sed noluit huic ratiocinationi ut approbatæ fidere, nam putat mutationem pelvis aliqua ex parte, membri pendentis ponderi *tribuendam esse.* Mihi non decet explanationem proponere, quum auctores non parvi nominis, inter sese tam discrepant. Igitur in verbis poetæ dicam: "Nec meum est inter illos "tantas componere lites." De contractione membri. Hæc, actioni musculorum qui superiori ossis femoris parte adhærent, imputatur: et ii partibus multum corruptis, cum multa facilitate agunt: quando cartilagines, ligamenta, &c. penitus delebuntur; maxima sit contractio, posteaque luxatio sequi-

tur. Febris hectica cum aliis pessimis signis ab causis duabus, nempe ab puris absorptione vel ab irritatione quam afficit inflammatio articuli eorum originem habere putatur: cum hectica longo ante ullam ad suppurationem proclivitatem sese ostendit, causæ postremæ ascribere necesse erit.

DE MEDENDI RATIONE.

Ex scriptis Hippocratis et Celsi, certiores facti sumus, hunc morbum multum in eodem modo, cum antiquis tractatum fuisse, ut quo nunc utimur, tamen ratio medendi paucis morbis minus quam in hoc intelligitur et pauca remedia fauste usurpata sunt. Interna remedia in hoc morbo non feliciter applicata sunt; parata hydrargyri,

antimonii et ferri, spongia usta, conium maculatum et varia alia ad vires confirmandas, omnia inutilia evaserunt. In prima symptomata percipiendo jam fortunati fuerimus; utilissima remedia sunt frequens sanguinis detractio per hirudines et scarificationes fomentis simul adhibitis, et ante omnia, quies immota.

Melius est parvas sanguinis detractiones sæpe iterare, quam multum uno tempore detrahere, nam ex usu compertum habemus sanguinis detractionem in parva quantitate non ad ægrotum debilitandum spectare eandemque in morbum superando magis feliciorem eventum habere. Inflammatione acutâ non instante, hæc, remedio potentissimo tantùm impedimentis sunt. Ab omni ævo in hunc fere diem, lavatio maritima in omnibus strumæ affectionibus usurpata fuit et etiam in presenti tempore sæpe videmus ipsissimas ex usu multum levatas,

hac de causa in primis accessibus morbi, haud improbabile est lavationem æremque maritimam, strumæ proclivitatem sic comprimere et corpori novas vires sic addere, ut partes proximæ affectæ integram actionem ad sese resumant. Dom. FORD, magno usu doctus, affirmat (quamprimum symptomata sese ostendunt, quæ cariem prævalentem atque instans suppurationis periculum manifeste denotant) lavationem maritimam pessimis hujus morbi frequentur succedi; verumtamen dicit remedium esse quod debet tentari, incipiente morbo et tepidam lavationem in balneo ex aqua vel maritima vel fontanea composito non objectionibus ad lavationem in mare, obnoxiam esse. Contra, Dom. CROWTHER usum rerum calidarum quasi ad suppurationem efficiendum, spectantium condemnat, et opinatur frigidas applicationes in morbi principio valde prodesse. Inter has opiniones diversas; eam a Dom.

Ford traditam amplector, quia eadem magis universe recepta fuit et magis prospere evasit. Doctores Charlton, Falconer, et Oliver, in primo stadio (præsertim in juvenum exemplis) aquis Bathonicis laudem magnopere tribuerunt sed asseverant pessima indicia hujus morbi earum usum semper sequi; si inflammatio magna esset vel ad suppurationem ulla proclivitas: Remedium afferre cariei vel huic corporis habitudinem coercere, animus medentis in primis stadiis morbi attente incumberet: quæ si neglecta, articulum certe consumat forsanque vitam ægroti; videtur irritationem quam proxime parti affectæ arte factam et pro satis temporis continuatam, actionem vasorum parte euntium morbosam peditentim diminuere, et tandem in toto morbum subigere. Nulla ex omnibus remediis in ordine stimulantium positis apparent meliorem effectum habere, quam epispastica perpetua ex quorum usu

externa irritatio continuo permanet, et plena humoris detractio ex magna superficie abunde producitur, hinc actio epispastici tam amoti ex parte laboranti aliquantulum compensatur. Adducerem auctoritatem scriptorum reverentiâ dignorum comprobare felicissima effecta ex epispasticis in principio cariei ossium evadentia, sed fatendum est hunc morbum ex superficie tam remotum actioni et utilitati vesicatorium confertim non posse subjici. In quibusdam commoda ex vesicatioriis in principio morbi adhibitis, sic mira fuerant ut proclivitas ad cariem pro tempore reprimatur et verisimile est ægros, si in hujus remedii usu constanter perstiterant, toto convaluisse. Sæpe accidit ægros amicosque huic aspero remedio aversari, nempe ex difficultate in urinam expellendo ab ejus usu oriente, et in aliis, hoc non omnino applicari potest. Varia emplastra stimulantia pro levamine hujus morbi cum simile intentione ut epis-

pastica fuerunt commendata, multaque exempla notatione digna in lucem prolata fuere: sed si hæc prospere evasissent; equidem eorum usus non nunc prohibirentur: tamen hæc ab primis auctoritatibus recommendata adhuc tentamen merentur. Si vesicatoria, hæc incommoda jam memorata producerent; ad setacea vel ad ulcus caustico factum confugiendum est: sed vesicatoria in omnibus (præsertim in morbi initio) anteferenda sunt. Setacea in sanatione hujus morbi inveniuntur exitum parum felicem habere et nunc in dissuetudinem abeunt; sed ulcus caustico factum sæpe optime evasit et nunc in omni stadio ut maximum remedium usurpatur, bonaque effecta, quæ ex ejus usu in morbis huic similibus producuntur, huic periculo favent. Vesicatorium vel ulcus caustico factum est potentissimum remedium in suppurationem comprimendo etiamque in stadio provecto nil dubii remanente quin caries adsit; femore

contracto et omnibus infaustis ingravescentibus, alterutrum horum, effectum felicissimum habebit et forsan proclivitatem ad cariem omnino dimoveat. Ulcus simile huic cum caustico factum, bene notum fuerat antiquis sed modus inhumanus idem peragendi, et terror, quem in ægro semper excitavit, merito efficerant hunc modum, scilicet formationem ulceris cum candentibus ferramentis; tote rejici. Hoc iterum inductum fuit ad hunc morbum sublevandum, sed non in eodem immani modo usurpatum fuit. Nitras argenti a Dom. Ford laudatum, causticum est quo pro ulceris formatione sæpissime utimur; forsitan haud indignum erit facere mentionem quomodo ulcus formatur. Causticum aqua madefactum ad partem atteritur donec superficies speciem subobscuram corrosamque sibi assumeret; tunc materia caustica abluitur, posteaque cataplasma emolliens parti corrosivæ applicatum, expulsui partis mortuæ maximum opem affert.

Ulcus, secundum Ford ad unum pollicem longum et amplius semipollue latum in magnitudine extenderet, quod decem vel duodecem pisa contineat. Pisa post partis mortuæ dejectionem interponuntur irritationemque facere et ulceris labiorum conjunctionem compescere. Si hæc (ut sæpe evenit) quamprimum interposita, partem summo dolore afficirent, oportebit horum usum intermittere donec dolor et irritabilitas penitus remiserunt. Si ulcus non bene egerit, cujusdam unguenti stimulantis perpetua applicatio, ut fiat assidua profusio, juvabit, et ceratum sabinæ a Dom. Crowther introductum nunc maxime utendum est.

Ex omnibus partibus circa coxam pro ulceris insertione, nullus locus sic idoneus apparet quam pars externa femoris paulo post trochanterem majorem. Hæc pars satis vicina est ei laboranti ut nihil, ni integumenta

communia inter articulum et ulcus externum interest et minus incommodi aut in sedendo, ambulando, vel in decumbendo orietur. Hicce modus tractandi tempestive usurpatus sæpissime felicem eventum habet, aut in morbum sanando, vel in anchylosim perficiendo et semper in nostra manu est cum ope hujus remedii curationem facere nisi in his exemplis ubi suppuratio externa ante applicationem caustici supervenisset: Nunc agimus de hoc morbo systema invadente et hoc liquet ex signis supra recensitis, systema præsertim e suppuratione in ruinam trahitur itaque cavendum est de formatione ejus: abscessu nunc formato traditum est ab experientia, nos in natura omnino confidere et non huic exitum dare cum caustici vel scalpelli applicatione. In hoc oritur discrimen inter suppurationes articulorum et aliarum partium corporis: incisione in articulo nunc facta ad exitum puri dandum, de articulo actum est, propter aerem ingredientem:

et nunc proclivitas ad cariem magnopere augetur et omnia symptomata ingravescunt. Ab usu discimus, os morbidum (si aer sit exclusus) faustum eventum sæpe edere, etiamque magna superficies ossis sit morbida, eadem sine ullo magno detrimento, ad sanitatem redigitur modò integumenta non aperta fuerunt. Partis in abscessum evadentis apertura sponte edita forsitan foret tam parva ut pus gradatim proflueret et facilis aditus aeri multo promptius excluditur; quam si abscessus caustico vel scalpello aperiretur et nunc vires naturæ et bona affecta medicinæ in auxilium vocantur. Remediis ad cariem propellendum incassùm tentatis et constitutione magnopere labefacta conandum est hanc roberare ad suppurationem resistendum, Tonica ad hoc conducunt. Cinchona nunc et in omnibus stadiis (ni inflammatio sese ostendit) summo cum fructu potest administrari in dosibus quam magnis ut ventriculus tolleret; necnon usurpatæ præpara-

tiones ferri et amara, opium est magna utilitate ad dolorem leniendum et soporem inducendum. Vinum moderate adhibeatur et cibus quam maxime nutriens est necessarius. Ægro maximum desiderium hoc postremo fruendi, sed in quibusdam debilitas est tanta, ut appetitus penitus abest in exemplis hujus modi vires sustinendæ sunt cum cinchona et vino. Sub hac curatione forsan mala symptomata evanescant, abscessus sanescat et cura fauste terminetur.

Persæpe evenit abscessu prorumpante vires morbi tam prævalere ut omne judicium fit inane in his occurrendo, nam hectica sero vel citius mortem inducit. In morbo provectiore oportet nos curam dirigere ut fieret secura anchylosis; qua succedente; in nostra manu erit morbum penitus tollendi, quo modo anchylosis fit, nondum perfecte intelligitur, tamen sedulo curandum est de postura et perfecta quietudine ægri, in eo modo accretio ossium (quæ

articulum formant) maxime promoveatur et quòd tota pressura ex corporis pondere simul cum omni irritatione sit semota: situs horizontalis anteponendus est. Idem vero maximam attentionem per totum morbi decursum postulat et dummodo ægri morbo incipiente coacti fuere quietem stricte observare; maxima pars eorum bona affecta ex naturæ auxilio experiretur. In his exemplis ubi caries articuli ad anchylosim sine externa suppuratione progreditur; medicina multum valebit et sedula attentio ad victum, cœlum, vestitum, et alias res cariei vel strumosæ diathesi occurrentes, et ante inflammationem et suppurationem cum omni cura cavendum est, ad constitutionem stabilitandum simul cum remediis supra dictis exercitatio petenda est, sed oportet non hac frui antequam anchylosis superveniret, hac nondum perfecta æger in discrimen adducitur ex suppuratione nunc iterum excitata postquam terminatio fatalis festine sequitur, igitur si æger exercita-

tione egeat, grallæ ad corpus sustinendum, sunt petendæ—et sedulo præcavendum his caute diuque uti, nec tam *citius rejicere*. Nunc memoravi omnia remedia quæ sunt maxima utilitate in hunc morbum occurrendo et dubito num feliciora adhuc apparuere.

FINIS.

APPENDIX.

SEQUENS exemplum bene illustrat pessima symptomata hujus morbi, quod meo docto amico Dom. GUL. CROFTS in urbe Corcagiensi videri contigit, et cui ob hoc debeo persolvere grates, historiam hujus sic mihi tradidit.

A. M. annos 23 natus, sanguinei temperamenti; in decimo anno cum morbo coxario ingressus fuerat, qui varios cursus perficiebat, quoad ad suppurationem, quæ, artu formato (cum capite femoris in dorso ilii) de-

prædationem morbi, eo tempore terminavit, tamen in parte musculi glutei maximi superiori fistula angusta remansit per quam pus densum continuo erat effusum: Ei bona plerumque salus fuit quoad ad tempus supra dictum, tunc ille periculo objectus ex frigore, imbrique orienti, cum signis synochæ correptus fuit. Hæc per dies quatuordecem remanserunt, atque dolore acuto coxendicis secuta sunt cursum circa articulum porrigente,—dolor sic iter tenuit nulla ope removante per triginta quinque dies et modo consueto fuerat tractatus, medicis trahere originem ex rheumatismo opinantibus.

Postea dolor coxendicis sponte cessavit et quatuor tumores paris magnitudinis cum nucibus moschatis tunc sese ostendebant; scilicet, tres super musculos glutæos unumque in perineo. In omnibus fluctuationes perspicuæ sunt; ad extremum sponte aperuerunt cum quantitas puris abundans commistis coa-

gulis et natura sero lactis assimili effusa fuit: nunc ejus glandula prostata incepit cum dolore affici, et periculo per anum facto, multo auctior inventa fuerat: æger ipse tunc temporis cum dysuria corripiebatur, ad cujus medelam variæ medicinæ sine ullo fructu applicatæ sunt. Deinceps vires gradatim deficiebant atque desiderium illi fuit (e lecto sese surgere conanti) sine ope catheteris reddere urinam, tunc ejecit circiter libram urinæ pure commixtæ, quod erat simile ei ex fistulis effuso. Sic vitam transiebat per octo vel novem menses pus ex urethra fistulisque perpetuò effundens; ingravescenti indies valetudine viribusque penitus fractis, tandem febris hectica, vitæ miserabili finem optatam imposuit. Medicis videtur permirabile quandocunque vis alicujus momenti in urinam expellendo fuerat usurpata; eandem in magna quantitate per fistulas propelli.

Cadavere secto, caput cervixque ossis fe-

moris etiamque os innominatum cariei tote obnoxiæ inveniebantur, ligamenta sacrosciatica omnino deleta fuerint; atque foramen in ea parte ossis ilii; cui caput femoris adhærebat, nunc sese ostendebat. Sed impossibile erat musculum iliacum internum scrutari, suppuratione in ea jam facta, sed vesica urinaria ilio adhærens distincte apparuit, in qua tria magna foramina per quæ urina fluxerat, nunc in conspectum sese obtulerunt. Comprobato eorum indicio iter per quod urina effluxerat quando æger mingere conatus fuit, tandem e tenebris erumpit.